LOCVS.

C Candidum & nigrum in campestribus, & in syluis etiam proueniunt. Syluestre in campestribus, potissimū siccis & lapidosis, nascitur. Verbascula duo passim in pratis & hortis producuntur. Lychnitis similiter alijs in campestribus nasci solet.

TEMPVS.

Verbascula duo primo statim uere emicant, certiq; huius appetentis nuncij. Hoc sanè tempore carpenda ueniunt, quod confestim fugacia euanescant: uita enim illis cum plurimum menstrua, nec temerè ad summum sesquimensem excedunt. Reliqua genera autumno, dum florent & semen proferunt, colligenda.

TEMPERAMENTVM.

Omnium folia desiccandi & detergendi uim possident.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix priorum duorum adstringit: unde tali iudicri magnitudine in alui profluuio utiliter cum uino in potu datur. Decoctū eiusdem ruptis, conuulsis, contusis, & antiquæ tussi auxiliatur. Dentium dolorem collutione mitigat. Verbascum cui flos aurei coloris, capillos tingit, & quocunq; reponatur blattas in se contrahit. Folia in aqua decocta aduersus œdemata, & oculorū inflammationes illinuntur. Syderata ulcera cum melle aut uino, cum aceto autem uulnera sanat. Contra scorpionum ictus auxilio sunt. Syluestris folia ambustis illinuntur. Ferunt fœminæ folia caricis interposita, incorruptas atq; à putrefactione immunes seruare.

EX GALENO.

Priorum duorū radix gustu acerba est, & fluxionis affectibus prodest. Sed & ad dentium dolorem eam nonnulli colluunt. Folia tamen digerendi uim habent. Sic etiam aliorum folia, potissimū autem eius quę aureos flores obtinet. Capillos quo-
D que flauescere faciunt.

EX PLINIO.

Contra scorpiones bibitur radix cum Ruta ex aqua magna amaritudine, sed effectu pari. Verbascum priuatim tonsillis in aqua potum medetur. Tribus obolis bibitur Verbascū cuius flos aureus est, contra omnia pectoris uitia, tussem, & purulenta excreantibus. Tanta huic uis est, ut iumentis etiam nō tussientibus modò, sed ilia trahentibus auxilietur potus. Lateris & pectoris dolores Verbascum cum Ruta ex aqua sedat. Panos sanat cum sua radice tusum, uino aspersum, & ita cinere calfactum, ut imponatur calidum. Semen ex uino decoctum & contritū luxatis medetur, dolorem & tumorē tollens. Radicis medulla collyrij tenuitate in fistulam additur. Contusis, euersis, & si febris sit potatur in aqua Verbascum, cuius flos auro similis est. Folia ex aceto imponuntur in struma. Semine ac foliis decoctis in uino ac tritis, omnia corpori infixa extrahuntur.

APPENDIX.

Recentiores duobus Verbasculis hos effectus assignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto uesicę renumq; obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata & liuentia. Quod uerò hæc eadem possint, temperamentū eorundem palàm docet: parum enim adstringunt: si gustaueris, amara, & modicè acria sunt: ut hoc nomine desiccandi & detergendi facultatē, quam illis Galenus ascribit, habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis herbarij calida & sicca esse statuunt. Et mulieres formæ studentes, succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, quod maculas, rugasq;, & alia eiusdem uitia mirificè detergeant. Vt hinc euidentissimū sit herbas, quas Schlüsselblümen uocant Germani, esse Verbascula.

DE FRAGA-

FRAGARIA MAIOR ET MINOR.